

Q. D. B. V.
EX METAPHYSICIS
DE

M A L O,

DISSERTATIO.

Quam
PRÆSIDE

M. FRIDERICO BESSELIO,

Tilfensi Prusso,

Publicæ Eruditorum ventilationi

submittit,

RESPONDENS

JOHANNES JOACHIMUS HOFFMANNUS,

Nordhusâ-Cheruscus,

In Auditorio Minori, Horis antemerid.

Ad diem M. DCLXIV.

WITTEBERGÆ,

Literis JOHANNIS BORCKARDI.


~~St.~~ St.

a. X. 8.

ib . . . diss. A
8 8



51



I. N. J.
DE MALO.

§. I.

Dari aliquod in natura malum, quod Bonitati quodammodo sit oppositum, sensus atq; experientia, (ut librum Scripturæ taceamus) abundè testantur. Quotus-enim-quisq; est, qui in se si tentet descendere, morum intellectusq; sui non agnoscat pravitatem? Quis est, cui non indies sceleratissima nequitia, perjurij, aliaq; hujus generis facinora ob oculos versentur? Adeò ut venè exclamârit Philosophus magis, quàm Poëta, judicio Hieron. Magij Miscell. lib. I. c. 17. p. 1300. in Lamp. Grut. Lucretius:

O miseras hominum mentes, ô pectora cæca;
Qualibus in tenebris vitæ, quantisq; periclis,
Degitur hoc ævi, quodcunq; est! *lib. II. v. 14.*

Etsi autem extra controversiam positum omninò illud esse apud omnes, judicent nonnulli, ità ut B. Augustinus ipse asserat *lib. I. cont. Jul. c. 3. fin.* Si nulla sint mala, frustra Deum compellari, quò liberet nos à malo: res ipsa tamen adeò clara non est, quin ulteriori aliqua indigeat disquisitione. Nam cum non uno modo malum consideretur, de eo nunc solliciti duntaxat sumus, quod *transcendentale* alij, alij *Entitativum*, cum Derodone Met. c. 4. §. 42. p. 107. vocant: *an illud in rebus habeat suum esse, nec ne?*

§. 2. Diversæ diversorum Autorum hic occurrunt sententiæ. Fuère enim qui ex professo affirmativam: Sunt
A 2 qui

qui negativam acriter tueantur. *Manichæi & Priscillianistæ*, non multa solum entia in se, & suapte natura mala; sed & principium quoddam malum principio bono oppositum statuerunt; quorum deliria perstrinxit *Augustin. tom. 6. lib. de heres. her. 6. Nicephor. lib. 6. hist. c. 31.* alijque plurimi, quos produxit *Svarez. tom. 1. Disp. Met. X. sect. 3. n. 4. p. 240.* & ex nostris *B. Chemnit. Loc. Theol. VI. de lib. arb. c. 8.* Horum sententiam secuti videntur *Flaciani*, qui substantialistæ ab aliquibus audiunt, eò quod malum substantiale asseruere: *Flac. clav. script. c. 2. tract. 6. de pecc. orig. p. 639.* ubi peccatum originis esse ipsam naturam, & essentiam humanam corruptam & depravatam contendit. Apud Philosophos antiquiores idem sensisse referunt Pythagoreos, quibus hanc sententiam adscribit Doctor, ut vocant, Angelicus, *Thomas part. 1. q. 49. art. 1. ad. 1.* apud *Svarez. Disp. XI. sect. 1. n. 2. p. 245.* & expressè mentionem hujus rei facit Philosophus *lib. 1. Met. c. V.* ubi inter decem Pythagoricorum principia coordinata ἀγαθὸν quoq; ponit, & κακόν. Eandem opinionem attribuit *c. 1. Alcmaoni Crotoniata;* καὶ ἦτοι ἔτῳ, inquit, παρ' ἐκείνων (de Pythagoreis loquitur) ἢ ἐκείνοι ὡσαύτῃ τὰτα παρέλαβον τὸν λόγον τῆτον. Vixit enim Alcmaeon temporibus Pythagoræ jam senioris: unde dubium illud ortum, an Pythagoras, ejusq; Sectatores ab Alcmaone, an verò hic suam à Pythagora acceperit sententiam? Quod posterius probabilius videtur.

§. 3. Recentiorum nonnulli, etsi Manichæorum, Flacianorumq; errores damnant, adeò tamen dubiè ea de re loquuntur, ut quid tandem velint, nescias. Ita *Scholastici*, quidam, Bonum & Malum, *essentialiter, substantialiter, accidentaliter*, dari affirmant, ut refert *Cl. Watson. Synops. Phil. Sect. 3. part. 3. c. 3. §. 3. p. 569.* quibus non obscure calculum suum ipse videtur addere. Nam i. bonum in malo latitans, imaginarium esse disertis verbis confirmat. Jam vero si malum est, neq; in alio, tanquam bono, hæret, utiq; aut hærebit in alio

alio

alio aliquo malo, aut ipsum erit malum substantiale. Utrumlibet asserueris, malum dari transcendente concedas oportet. 2. Statuere ait. Philosophum *lib. IX. Met. c. VIII.* ne quidem omnes substantias bonas esse, *l. c. p. 570.* 3. Dari affirmat etiam inter bona & mala entia, media sive neutra, quibus ad conservationem & destructionem uti possimus. Nemausensis verò Professor, *Dav. Derodon*, etsi *l. c.* mali naturam in oppositione ad bonum, non malè exprimat; in hoc tamen à cæteris abit, quando & imperfectum cum malo per omnia convenire, & malum Entitativum non esse proprietatem Entis censet, quod non conveniat omni Enti, scilicet Deo. Juxta quam sententiam dicendum, ad minimum disjunctam constituere Entis affectionem malum Entitativum: id quod à nonnullis olim proditum est. Huc refero illos quoq; , qui in natura dari quædam existimant, quæ nec bona ἀπλῶς, nec κατὰ ἴσιν sint. Hæc ratione disputant Scholastici, de materia prima, entibus Mathematicis, & relationibus secundum esse Ad, an entia sint simpliciter bona, an minùs? *Vasquez. p. 1. q. 5. art. 3. Mendoza Diss. Met. VII. sect. 3.* affirmativam sequuntur: *Svarez. Diss. 10. sect. 3. n. 20. p. 243.* de materia prima affirmat, de rebus a. mathematicis negat. *Molina* de materia prima, & entibus Mathematicis affirmat, de relationibus negat. His omnibus contrarius est *Philippus à S. S. Trinit. part. 3. Sum. Phil. quest. 10. art. 2. p. 163.* ubi concludit materiam primam, entia Mathematica, & relationes secundum esse Ad, non esse simpliciter bona, quia non sunt entia actu.

§. 4. Distinctè de distinctis nobis agendum. Itaq; Pythagoreorum, Manicheorum, aliorumq; errores crassiores priùs discutiendi, antequam de *Watsonio*, *Derodone*, cæterisq; judicium feramus, præsertim cum illorum hæc fuerit sententia plana & aperta, horum v. difficultatem præ se ferat insignem. Manicheorum errorem paulò aliter refert, *Paulus Voëtius*, *Juris in Academia Ultrajectina Antecessor, Phil. prim. Reform. cap.*

XII. sect. 1. n. 6. pag. 305. eos sc. corpus, seu rem corpoream, suapte natura malum: Spiritus verò bonos statuisse. Qua de sententia, utrum ex mente horundem proposita fuerit, an minus? nunc non disquiremus. Illud constat damnatam esse pestilentissimam hanc hæresin ab orthodoxis Ecclesiæ Doctoribus, tum in alijs Concilijs, tum in Brachar. I. cap. 7. & 8. ut memorat *Svarez. Dissp. 10. s. 3. n. 4. p. 240.* Et patet error, quia cùm sacra Scripturæ, & unanimi Patrum consensui, tum sanæ rationi apertè adversatur. Prius probatum dedit *Cl. Homberg. Dissp. Met. XX. §. 6. & 7.* Posterius sic ostendimus: Omne Ens reale, est bonum. Nullum malum ut sic, est bonum. E. N. malum ut sic, est Ens reale. Major patet, quia bonum & Ens unitè convertuntur, teste *Aristotele lib. 1. Et hic. c. IV.* ubi inquit: τὰ ἀγαθὸν ἰσαχῶς λέγεται τῷ ὄντι, id quod *Andronicus Rhodius*, cujus eruditissimum commentarium, curatè edidit, *Bataviæ olim lumen, Dan. Heinsius*, prolixius ad h. l. persequitur. Minor ex oppositione constat.

§. 5. Idem, quod his, *Flacio* ejusque Sectatoribus responderi potest. Nam quicquid est, in eo quod est, bonum est, inquit *Boëthius*, elegantissimo libello *de Hebdom. cap. 2.* Unde colligit *Magn. D. Calov. Met. div. part. Gen. cap. 2. Porism. 6. p. 286.* Quod non est bonum, ne esse quidem. Jam v. homines, aliæq; creaturæ sunt. E. Cæterùm controversiam illam inter Theologos agitaram: An peccatum originis sit substantia, an vero accidens? tum si hoc, an sit mera & nuda privatio, an verò aliquid positivi inferat? hic loci nostram non facimus: est enim ferè Theologica, præsertim cum illud positivum aliter apud Metaphysicos, aliter apud Theologos accipiatur, non diffitente *B. Meisnero in Quæst. vexat. Q. IV. th. 32.* qua de re ex professo disputat *Dn. D. Calov. Harm. Calixt. Sect. 2. cap. 4. subs. 1. §. 8. p. 366. seqq.* Illud interim notandum, falsum omninò esse, quod disputat *Flacius*, substantiam hominis malam esse. Nam si hoc foret, utiq; secundum Magni Viri sententiam, malitia originalis aut integram, aut essentialia-

sentia-

sentialem constitueret hominis partem. Quod cum non procedat, dicendum, de essentia hominis non esse, ut sit malus. Rectè enim *Basiliius in Orat. quod Deus non sit Autor pecc. apud B. Jac. Mart. Cent. Diss. Phil. IV. Diss. VI. quest. 6. p. 115.* Μήτε ἰδίαν, inquit, ὑπόστασιν τῶ κακῶ εἶναι φαντάζῃ· ἡ γὰρ ἐστὶ ὑφεσις, ὡσπερ ἡ ζωὸν, ἡ πονηρία; ἔτε ἰδίαν αὐτῆς ἐνυπόστατον ὡφρασησαι ἔχομεν· ἑρῆσις γὰρ ἀγαθῶ ἐστὶ τὸ κακόν. Atq; sic nec principia erunt mala, cum effectus testetur de sua causa, nec nobilior eadem esse possit, quod est contra *Alcmaeonem, & Pythagoræos.*

§. 6. Scholasticorum sententia dubia est, quidnam per malum illud triplex intellexerint; quod cum non explicarit *Watsonius*, ejus nunc viri, satis alioquin eruditi, opinionem accuratiùs inspiciamus. Asserit ille *c. l. §. 3. p. 569.* constare, omne Ens, quatenus à Deo est, esse bonum: & nihilominus negat, mala radices agere in bono transcendentali; sed revera illud bonum in malo latitans imaginarium esse, ut supra §. 3. relatam est. At enim verò si nullum datur mali receptaculum, quomodo malum privatio erit perfectionis inesse debita? Controversum quidem aliàs illud est, an privationi competat inhaerentia? Et certum est, privationes non inesse, cum illud sit proprium accidentium: nihilominus latissimè aliquando τὸ inesse sumitur, quatenus omnem complectitur ἐν ὑπερξίῳ, aut quamvis unius rei ad aliam unionem. Et hoc modò, juxta sententiam *Cl. Scheibleri part. 3. Log. cap. 2. q. 7. n. 28. p. 543.* insunt etiam privationes suis subjectis, quia apprehenduntur ab intellectu, tanquam formæ, vel habitus inexistentes suis subjectis. Malum itaq; , nisi illud quis per se subsistere erroneè dicat, concipitur ab intellectu nostro contineri in alio: non tamen imaginarium illud fundamentum est, ut prolixius ostensuri sumus §. 13. Quod porrò apertius sententiam suam prodit *Watsonius*, dum *Philosophum lib. IX. Met. c. VIII.* ne quidem omnes substantias bonas esse, statuisse

statuisse refert, non unum errat errorem. Eô enim, quem adduxit, locô, ne gry quidem de substantia aut bona aut mala habetur: subsequenti verô cap. quædam à Philopho adjiciuntur, de malo, ut ostendat τὴν ἐνέργειαν in bonis esse meliorem δυνάμει, in malis deteriore, indeq; colligit mali non dari ideam separatam, ad refutandum Platonem, ut *Alexander ad b.l.* annotavit: non enim verisimile est in gratiam Platonis hæc prolata esse, ut placet *Sonero ad lib. IX. Met. cap. IX. tex. 19. p. 517.* Deinde confundit *Watsonius* substantias cum qualitatibus. Nam expressè Aristoteles *lib. V. Met. c. XIV. tex. 19.* ad qualitates & πᾶσι substantiarum, virtutes & vitia, bonum & malum refert. Unde tamen vitiosè concludit *Drejerus Diss. 8. in prim. Phil. §. II. p. 136.* Aristotelem bonum & malum explicare in Metaphysicis, non certè ut generalem affectionem entis, sed potiùs ut speciem, seu partem qualitatis: quippe ex hoc loco neq; de bonitate, neq; de malitia transcendentali iudicium institui potest, cùm de bono & malo morali loquatur Philosophus. De medijs autem Entibus, quæ inter bona & mala occupantur, variæ interpretum sunt sententiæ. Aristoteles *VI. Top. c. VI.* non solùm bonum & malum, sed & neutrum dari asserit. Sed de quonam medio agat, intellectu non est difficile. Eodem enim modo *Boëtius in Postpred.* divitias & pulchritudinem neq; bonas, neq; malas esse affirmat. Quod si jam hæc de bonitate Metaphysica accipias, πρῶτον ψεῦδος continuò apparebit.

§. 7. Imperfectum a. illud, quod malum entitativum dicit *Derodon*, malè applicatur. Nam cùm imperfectum dupliciter dicatur, privativè & negativè: de priori duntaxat hic sermo esse potest. Igitur sicut non omne bonum statim est perfectum, nisi in suo genere: ità nec omne imperfectum erit malum, præprimis cùm non rarò completum, & incompletum, cum perfecto & imperfecto commutentur. Deinde falsum est malum entitativum convenire alicui enti. Nam ponamus malum cum imperfecto converti, impossibile
tamen

tamen est, dari aliquod Ens, quod in se & suo genere duntaxat non sit perfectum. Eruditè, ut pleraq; Cl. Scheiblerus lib. 1. Met. c. 12. tit. 1. n. 15. p. 154. *Nullum Ens, inquit, dicitur imperfectum, præcisè considerando essentiam, tanquam per defectum eorum, quæ ad essentiam pertinent.* Et confirmatur, quia positâ essentiâ, necessario requisita ad essentiam sunt ponenda; aliàs defectus requisitorum ad esse necessariorum, ipsam everteret & destrueret essentiam. Concludunt hinc Philosophiæ primæ Doctores, omne Ens suam habere perfectionem, si non specialem, sibi tamen debitam & transcendentem, adeò ut à bono vix, aut ne vix quidem, discerni queat perfectum, judice acutissimo *Stalio in Disc. ad Tabb. Met. XXIV. p. 93,* & post eum *Cl. Homborgio Disp. Met. 21. §. 1.* Quod autem inde colligit *Derodon l. c.* divisionem Entis in bonum & malum, esse tantùm præcisivam, non autem in membra physicè opposita, cum grano salis accipiendum est. Nam verum quidem est Ens realiter sic dividi non posse: falsum autem, quod subjicit, idem Ens bonum & malum pro diverso esse respectu: quippe cùm omne Ens sit bonum, fieri non potest, ut aliquod sit malum in se & sua natura.

§. 8. De controversia porrò: *an dentur quedam in rerum natura, quæ nec bona, nec mala sint?* etsi huc præcisè non spectet, ad meliorem tamen mali cognitionem pauca subjiciemus. Nam materia prima, (quam ex hypothese hic supponimus) secundum ipsum quoq; *Thomam part. 1. q. 5. art. 3. ad 3. ap. Phil. à SS. Trinit. part. 3. Sum. Phil. q. 10. art. 2. p. 165.* bona est in potentia. Hic tamen l. c. p. 163. ea tantùm bona judicat, quæ sunt entia actu: sed fallitur. Finis sanè non rarò ens est in potentia, neq; tamen bonitati ejus quicquam decedit. At posito perfectionem ad esse completum in materia non reperiri, reperitur nihilominus perfectio ad hoc esse suum incompletum, ut notat *Cl. Voetius Phil. pr. Ref. c. XII. f. 1. n. 2. p. 303.* Non itaq; indifferens, & inter medium quoddam inter bonum & malum est. Idem de Relationibus in esse Ad, & Entibus

B

Mathe-

Mathematicis dicendum. De illis concedere cogitur *Phil. à SS. Trin. l. c. p. 166.* relationem *In, & esse Ad*, realiter unam, simplicem, & realem esse entitatem. Qui *E.* bonitas ijsdem deroganda veniet? Horum autem duplex consideratio institui potest, alia quæ rem ipsam connotat: quò sensu falsum est bonitate n ijsdem non inesse. Alia est, quæ sub præcisione bonitatis rem considerat. Et hòc modò Entia Mathematica non habebunt bonitatem, nisi fortè talem qualem habent entitatem, ut iterum non malè observat *Voëtius l. c. n. 6. p. 305.* Aliàs si entia Mathematica, eò sensu, quò plerumq; à nonnullis sumi solent, accipiantur, falsum est, quod ait *Voëtius*, entia Mathematica minùs propriè vocari entia: nam sic bonitas eorundem ab intellectu duntaxat dependebit, non aliter atq; entia rationis bona esse dicuntur. Quæ à *Svarezio Disp. X. s. 3. n. 21. p. 244.* objiciuntur, ab alijs pridem sunt dissoluta. Sed de his satis.

§. 9. Ex dictis duò colligere licèt: 1. *Malum transcendentale, ut sic, in rebus non reperiri*; seu ut alij loquuntur: *malum inter attributa Entis referri non posse.* Nam cum affectiones ex natura Entis fluant, ipsumq; intrinsecè & per se consequantur, eaq; de causa, aut uniformiter, aut difformiter cum Ente retrocurrant & convertantur: malum verò neq; ex natura entis fluat, neq; eidem per se & intrinsecè, d. extrinsecus duntaxat, & per accidens consequatur, adeò ut non de formali aliquid; quod ad rationem Entis faciat, sed potiùs tendentiam ad non - Ens dicat: quì aut in rebus reperiri, aut affectionibus Entis accenseri poterit? 2. *Malum transcendentale non contrariè, sed privativè bono opponi.* Probari hoc non difficulter potest: Quæcunq; opponuntur ut habitus & privatio privativè opponuntur. Bonum & malum opponuntur ut habitus & privatio. E. Major constat. Min. probatur, quia bonitas est perfectio rei inesse debita, adeoq; habitus quidã: contra malum aufert illam perfectionem, & sic privat Ens debitã suã perfectionem. Observandum autem tripliciter dividi posse malum,

lum, non secus atq; bonum, quo de *Scaliger Exercit. 307. f. 27. p. 978.* ut ità aliud sit transcendente, aliud Physicum, aliud Morale. Prius absolutè est non-Ens, cum formaliter in rerum natura non detur: posteriora dari non repugnat solùm per accidens. De illo itaq; dubium nullum est, quin tollat ac removeat debitam Enti perfectionem, idq; per modum privationis. De his controvertitur, an contrariè, an privativè bono opponantur. Nos de malo morali affirmamus, illud contrariè bono, non aliter contraponi. Vid. *Phil. à SS. Trin. part. 3. Sum. lib. 1. q. 10. art. 6. p. 10180.* Malum autem ut sic, quod transcendente aliàs vocamus, non nisi privativè bono opponi potest.

§. 10. Errat itaq; Vir doctus, quando *Diff. VIII. in prim. Phil. §. 13. p. 138.* malum & bonum, ut sic, contrariè opponi asserit. Probat id ex Aristotelis *lib. Categ. XI. §. 1. lib. 1. c. XVI. & lib. II. Post. c. VI.* Sed partim falsa nititur hypothesis, bonum sc. & malum sub qualitatibus duntaxat in Philosophia prima spectari, id quod confutavimus §. 6. partim malum morale cum malo Entitativo confundit. Quod Aristoteles dictis locis de malo loquatur morali, ex *lib. Categ.* perspicuum est. Posteaquam enim ostenderit Philosophus, *ἐναλίον ἐξ ἀνάγκης εἶναι κακόν*, subjicit exempla §. *eod.* de valetudine & morbo, justitia & injustitia, fortitudine & ignavia, quæ liquido ostendunt, quo de malo loquatur. Similiter judicandum est de alijs locis: Et præsertim de eo, quem ex *lib. II. Post. cap. VI.* (secundum alios *c. V. cont. 28.*) adduxit, constat, exempli gratia isthæc ab Aristotele adduci, ut ad h. l. notavit *Zabarell. col. 1095.* Quid quod ipse *l. c. p. 139.* agnoscit, malum omninò esse quid privativum, & non Ens formaliter? Et hanc arbitror causam esse, cur privationi subjecerit bonum & malum Philosophus *lib. IV. Met. c. XXII.* ut ostenderet scilicet, bonum malo non aliter, quàm privativè opponi.

§. 11. Est ergò malum, ut communiter definiunt Eruditi, *privatio perfectionis inesse debita.* Hoc ut rectiùs intelligatur supponendum, in malo, sicut in alijs quoq; concretis, duo occurrere, materiale, & formale. Illud est subjectum cui accidit

cūdit malitia : hoc, cui perfectio deest. Ex parte itaq; formalis definitio potissimum procedit. Ubi ulterius inquirendum, an privatio illa duntaxat sit convenientiæ, an verò perfectionis? Nos posterius cum doctissimo *Didac. Masio, lib. 5. de Ent. c. 5. p. 261.* affirmamus. Nam cum omne formaliter positivum, perfectionem quoq; formalem importet, sequitur ἐξ ἀνάγκης, nullum malum esse positivum, sed in privatione consistere. Nihilominus distinctio quædam inter ista occurrat, quando dicimus, aliquid esse puram privationem, & aliquid cuius formale consistere in privatione. Juxta *Cl. Ebelij* sententiam *Disp. Met. VI. sect. 3. p. 100.* dicendum, posterius de malo, non prius enunciari. Privatio enim quæ à malo infertur, aut est simplex negatio, aut perfectionis ablatio in subjecto apto. Non illud: quia aliàs omnis creatura foret mala, quod careat perfectione spirituali & divina. E. hoc. *Conf. Paul. Voet. Phil. prim. Ref. c. XII. sect. 2. n. 3. p. 325.*

§. 12. Sed ista distinctius cognosci poterunt, si causas mali investigemus. Etsi autem malum transcendentale sit omninò non-Ens quoddam, quod cum nullas habeat affectiones, neque causas præcisè habere poterit, unde etiam *Dionys. ait cap. 4. de div. nom.* malum non habere causam: rectè tamen dicitur, intelligendum illud esse, de causa per se, quæ directè malum nunquam intendit. At verò cum res neq; naturaliter, neq; moraliter mala denominari possit, nisi à perfectione debita declinet: & nunquam defectus observetur, nisi ob aliquam causam vel agentem, vel impedientem, detur oportet aliqua causa, à qua defectus hic oriatur. Certis itaq; conclusionibus per quatuor causarum generares est expediunda.

§. 13. I. *Malum, ut malum, est in bono, tanquam in subjecto*: hoc est, causam habet materialem, quæ semper est aliquod bonum, ut loquitur *Svarez. Disp. XI. sect. 3. n. 4. p. 252. Timplerus lib. 2. Met. c. 9. Publ. 29. p. 194.* hanc *Svarezij* sententiam refutat, ex eo potissimum, quod causam materialem cum subjecto confundat. Sed facilis est responsio. Materia enim duplicem habet respectum, vel ad compositum, vel ad formam

formam; illò modò *ex qua*, hoc vero *in qua* dicitur. Unde eandem causam mali subjectivam vocat *Voetius l. c. n. 6. p. 328.* Nam cum illud Enti accidat, quod bonum suapte natura est, necesse est, ut bono quoq; accidat. Intelligendum tamen hoc de alijs quoq; *συγκειμένως* est generibus. Quippè cum experiètiâ observatum sit, non semper in eo genere in quo bonum est, *ἐξ ἐναντίας* malum esse. De malitia aliàs naturali notorium est, eam in bono quoq; morali locum habere posse: & è converso malitiàm moralem in bono naturali: utramq; certè in bono entitativo, si non intrinsecè, tamen ab extra. Subjectum ergò requiritur, quod connotet privatio, non quidem *imaginarium*, sed *inhesionis*, aut *denominatio- nis*; impossibile enim est ut privatio una sit in alia: Erit itaque in subjecto, cujus sit privatio, cum juxta Philosophum *lib. Categ. cap. X. §. II. ἡ ἐξίς τῶν ταυτῶν π* versentur. Quando autem dicitur malum inesse alteri tanquam in subjecto, non accipiendum est, ac si malitia subjectum haberet, cui inesset positivè, ut aliquod ponens, sed ut removens, seu per non-existentiam in quantum ibi perfectio non est, quæ inesse debebat.

§. 14. II. *Mali non datur formalis causa propria & intrinseca, præter malitiàm & defectionem suam.* Enimverò cum malitia per privationem designetur, sequitur formam ejus esse perfectionis carentiam. Neq; tamen propterea concludendum, quamcunque perfectionis carentiam inferre malitiàm aliquam, ut disputavit *Becanus*, quem refutarunt *Stalius Comp. Met. c. 38. p. 391.* & post eundem *Voetius l. c. f. 2. n. 3. p. 325.* Nam ad perfectionem semper requiritur subjectum aliquod capax. Ubi igitur capacitas illa deest, ibi quoque locum ulterior invenire nequit perfectio. Quod autem *Svarez. l. c. n. 10. p. 253. Homborg. l. c. §. 37.* aliq; existimant, malum habere posse causam formalem remotam & extrinsecam, errant. Quænam enim illa sit extrinseca forma, cum omnis forma sit causa intrinseca, non video.

B 3

§. 15. III.

§. 15. III. *Malum formaliter consideratum, nec finis est, nec finem habet.* Utrumq; probatur. Quicquid non potest desiderium sui per se excitare, nec per se intentum est in rebus, illud neq; finis est, neq; causam habet finalē. De malo verum est prius, E. Major patet. Minor probatur, quia nec sub ratione finis, neq; sub ratione medij bonitatem habet. E. nec appetibilitatem habebit. Cæterum intelligendum hoc est de malo culpæ, non de malo pœnæ. Nam hoc omninò finalem obtinere potest causam, non modò quoad permissionem, sed etiam quoad effectiōnem. Huc aliqui referunt malum *naturale & medicinale*, quod finem quidem habere asserunt, sed per accidens.

§. 16. IV. *Malum non agnoscit causam efficientem per se, sed tantum per accidens.* Directa hæc potissimum conclusio est contra *Timplerum*, qui *lib. II. Met. c. IX. Probl. 24. p. 188.* concludit, malum non tantum habere causam sui efficientem per accidens, sed etiam per se. Sed fallit. Nam 1. causa efficiens *κυρίως* dicta, non producit aliquid à se toto genere diversum. E. producet aliquod Ens. At hoc in se, & suâ naturâ, bonum est. Non igitur efficiens, sed deficiens erit causa, quæ causat malum. Unde rectè *Keckermannus*, quem eade causa laudat *D. Jac. Mart. p. m. in Pralect. Extemp. lib. 1. sect. prior. c. 15. can. 3. p. 187.* causa efficiens, inquit, *κυρίως dicta non efficit nisi in se bonum.* Jam si defectus ille accidat efficienti causæ, & quidem secundæ, quomodo Deus causa erit mali, seu per se, seu moralis, seu per accidens? Posterius tamen defendit *Timplerus l. c. q. 27. p. 191.* & alij, quibus alibi responsum est. 2. Bonum quidem *καὶ συμβεβηκός* est causa mali, sed creatum duntaxat, in quod defectus aliquis cadere potest, ut loquitur *B. Grauerus Quest. illust. Disp. IX. q. 7. p. 367.* Conf. *Dn. D. Calov. Met. div. part. Gen. cap. 15. Porism. 16. p. 499.*

§. 17. Distinctiones mali variæ ab Autoribus proponi solent. Est itaq; 1. Malum aliud *ἀπλῶς* tale, aliud *κατὰ τι*, seu,
ut

ut aliàs loquuntur, malum in se, & malum alteri. Quæ divi-
fio ex parte formalis desumpta est, nam materialis ex parte
rerum non cadit sub scientiam, ut observat *Svarez. Diss. XI.*
sect. 2. n. 1. p. 250. Malum in se est non-Ens, quod à nullo ap-
petitur. Malum autem alteri. in se quidem bonum est, alicui
tamen est noxium. Talia sunt in rebus naturalibus plurima,
quæ huic proficua, alteri verò apparent noxia. Amygdalæ
amaræ hominibus profunt, vulpibus præsentaneam adferunt
mortem: venenum in se res bona est, homini tamen mala &
noxia. Atq; hoc malum subdividunt in disconveniens naturæ
ut sic, & disconveniens naturæ rationali specialiter, quam
distinctionem paulò aliter proponit *Svarez. l. c. n. 2.*

§. 18. Ex hâc oritur nobilis illa distinctio II. in malum
culpæ, & pœnæ, qua tantoperè apud Theologos frequentata
est. Non uno autem à Philosophis exponi solet modo. *Thomas*
part. 1. q. 45. art. utrumq; definit, & malum quidem culpæ
per carentiam perfectionis debitæ secundum liberam actio-
nem: malum autem pœnæ, per carentiam boni debiti ob
culpam contractam: quod alij de actu secundo, & primo ex-
ponunt, ita ut defectus in actu secundo malo culpæ, in actu
primo malo pœnæ conveniat. Sed difficultate hæc exposi-
tio non caret. Proinde observandum est, carentiam perfe-
ctionis secundum liberam actionem esse duplicem, formalem
& virtuales: illa est, quando agens liberam actionem pro-
movere potest, puta, si fur alienis opibus intentus, manus
promovet picatas, vel non cohibet, cum possit: hæc quando
concupiscentia quidem adest, statim tamen cohibetur, quem
motum primò-primum vocant Scholastici, quo de *Cl. Stal.*
Discurs. ad Tab. Met. XXIII. p. 93. Tria potissimum ex his de-
ducimus: (α) Distinctionem illam non esse univoci in sua uni-
vocata. (β) Malum pœnæ originem debere malo culpæ, neq;
tamen ut causæ Physicæ, d. ut morali, juxta *Svar. l. c. n. 6. p. 251.*
(γ) Si comparentur ad invicem, gravius omninò esse malum
culpæ, atq; malum pœnæ. Alij medium malum inter hæc
duo

duo ponunt, naturale quidem *Timpterus l. c. Probl. 21. Con-*
sect. 5. p. 186. tentationem, hoc est malum ad culpam incli-
nans & trahens *Armand. de Bell. vis. Explic. Term. tr. 2. c. 121.*
p. 231. Sed quid attinet entia præter necessitatem multipli-
care?

§. 19. Sunt demum, qui primò & adæquatè III. malum in
turpe, contristans, & inutile dividant, quam distributionem
Phil. à SS. Trin. l. c. q. 10. art. 6. p. 180. malo tam morali, quam
transcendentali convenire asserit. Sed præter rem, cum neq;
ratione materialis neq; formalis posteriori *πρώτως* & adæ-
quatè conveniat. Unde argumentamur: Quæcunq; divisio
neq; ex parte materialis, neq; ex parte formalis, competit di-
vifo, ea non est legitima & adæquata. Hæc ipsa mali tran-
scendentalis divisio est talis. E. Major constat. In eo enim ex-
amen bonæ est distributionis, ut adæquetur distributo. Adæ-
quatio a. illa juxta *Cl. Scheibler. Topic. c. 1. q. 2. n. 23. p. 192.*
consistit in duobus: unò si nihil sit in divisione, quod non sit
in diviso; alterò, si omnia ea, quæ sunt indiviso, sint etiam in
divisione. Minor probatur: quia malum fundamenti loco
supponit ipsum bonum, quod quæ tale, impossibile est, ut sit
inhonestum, aut nocivum, aut inutile: quoniam hæc à for-
mali dependent. Unde §. 17. ex *Svarezio* docuimus, mate-
rialem divisionem mali sub scientiam non cadere. Forma-
liter autem, etsi malum omne contristans sit, & nocivum, &
per hoc disconveniens simpliciter, atq; inutile: primo tamen
& adæquatè malo Metaphysico isthæc denominatio non
competit. Nam cum bonum communiter id honestum, ju-
cundum & utile distribuatur, quam distinctionem prolixè
defendit rigorosus Thomæ Sectator *Phil. à SS. Trin. l. c. art. 3.*
p. 167. contrariè huic divisioni divisio opponitur mali in in-
honestum, injucundum, & inutile. At verò bono transcen-
dentali malum ut sic non nisi privativè opponitur: quæ igitur
contraria hæc divisio primariò & adæquatè competit malo
transcendentali? *Tantum est.*

OMNIA AD DEI GLORIAM!

Coll. diss. A. 10, misc. 8 8